



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Personius primùm, tum Campianus incolumes euadunt Londinum. n. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

filij rationem, simulque quo ipse esset animo ad iter, his explicat *Campianus* 1580.
ad *Mercurianum* scriptis.

Pater *Robertus*, *Georgio* fratre comite, post mediam noctem, pridie quàm hæc scriberem, *Caletum* soluerat, vento secundissimo: Itaque sub hesternum mane, decimo sexto Iunij, *Dorobernium* ut speramus appulit; specie militis tam picti, tam infani, ut valde oculatus esse debeat, qui sub illo vestitu, vultu, incestu, sanctimoniam & modestiam delitescere suspicetur. Nobis tamen iniiciunt solitudinem non dico rumores sed penè clamores hominum de aduentu nostro. Hunc iactum sola potest corrigere diuina sapientia, in quâ libenter conuiescimus. Ego, sic iustus, aliquantum substiti, ut si fieri possit ex vectoribus, vel certis mercatoribus in hæc loca venturis prius aliquid expiscarer de successu Patris quàm nauigem. Si quid inaudiero noua capiam consilia. Viam tamen omnino tentare decreui ut acie pugnem etiam moriturus. Sæpè accidit affligi primam frontem victoris exercitus. Profecto si nostra Societas in expeditione perget, ignorantiam & nequitiam, quibus hoc bellum indicitur, superari necessum erit. Vigesimo Iunij die *Caletum* cogito. In *Audomarensi* Collegio me interea Sociumque *Rudolphum* orno; sed quo sumptu putas? præsertim cùm ea non sint vlii quæ hæcenus fuere. Dum tegere personas nostras volumus, ac mentiri dementiam huius mundi, multæ nobis reculæ, quas plane ridiculas iudicamus, necessariò coëmuntur. Iter nostrum, & hæc vestes, quatuor equi statim in *Anglia* comparandi poterunt nostris pecunijs respondere, sed eâ prouidentia quâ panes multiplicati sunt in solitudine. Verum hæc minima difficultas est; mittamus: hanc Epistolam nondum claudio ut in eam si qua resciero conijciam isto triduo. Etsi enim prius in alterutram partem transigaretur de nobis quam hæc legantur, tamen articulos omnes tanti negotii, & acta nouissima, ex quibus reliqua nondum perscripta dependeant, significanda putauimus dum isthic sum. Ad me vir quidam nobilis *Anglus* ventitat, rerum politicarum intelligens; Narrat mihi aduentum *Aslaphensis* Episcopi literis & sermonibus iactari; eâ re magnam expectationem cieri, quod plerique opinentur virum talem, hæc ætate, non suscepturum hanc molestiam, nisi motus aliquis instaret. Docui veram perfectionis causam simplicissimè: Ille tamen mirari non desinit: Est enim apud *Anglos* Episcoporum nomen & vitæ ratio honoratissima. Hodie mitescit ventus, itaque ad mare propero; habitus in *Audomarensi* Collegio perbenignè, & rebus necessarijs adiutus; Etiam totâ viâ incredibile solatium in omnibus domicilijs nostrorum percepimus. Accesserunt hospitia Cardinalium illustrissimorum, *Paleotti*, & *Borromæi* atque *Collensis* Archipresbyteri *Parisijs* & *Duacum* consultò declinauimus. Tuti videmur, nisi prodamur in hisce maritimis terris. Addidi vnam diem ad moram, quo quia nihil in vtramuis partem de Patre *Roberto* nunciatur, mihi persuadeo hospitem peruasisse. Deum rogo ut T. R. tuosque *Alsilentes*, totamque Societatem assiduè protegat. Vale 20. Iunij 1580.

III. *Audomaropoli* *Caletum*, *Caletum* *Dorobernium* tenuit *Personius*

H4

securitas

Epistola
Campiani
Audomaro

Forte Co
mensis.

1580.
Petionus
primi-
tium Cam-
pianus in
columnis
euadunt
Londinum

securitas eo in portu diuino beneficio supra spem fuit : Vultus cum veste (quâ fieri potuit arte) mutatus, sermo ad beneuolentiam & fiduciam conformatus, aliam præterere custodibus quàm in tabella aspiciant descriptum, & opportunitatem impetrant ad interiora Insulæ penetrandi facultatē. Inopinata vigiliū comitas alacritatē attulit aduocandi *Campiani*, ficto sub nomine *Parricij*, Hyberni Institoris, atque isdem, quos beneuolos nactus fuerat, custodibus commendandi. Aduolat accepto nuncio *Campianus* cum *Rudolpho*, & quanquam nouis ab regio lenatu mandatis oculatiores reperit portus obseruatores quàm ut *Personij* gratia usquequaque ualeret, oculus tamen ardentibusq; ad Deum & Sanctum Christi Præcursores votis (cuius ipse à ter eris in tutela fuerat, & erat postridiē eius diei qui nacenti est lacer) aperuit sibi uiam; Paratis qui uinctum ducerent satellitibus, insperato consilio, & præter cæterorum qui assiltebant lententiam, nuncius ab Oppidi Præfecto mandat liberum proficisci cum *Rudolpho* famulo *Parricium*: Præfecti incredibilis facilitas erexit dubium *Campiani* animum ad diuinæ opis spem haud minorem in exscensu quem facturus erat altero deinde die Londini, quàm quem fecerat Dorobernij. Prouderat *Personius* in vasta ciuitate, domibus ciuibusque confertâ huic inimicis causæ, plus posse esse dubitationis, quò, & apud quem, & quando nouus quasitumque hospes diuerteret, quàm in ipso (modò euaderet) portu periculi: & quoniam euasisse sperandum erat, quò aduersi nihil fama attulisset, nobiles iuuenes, quos ei religio conciliarat, rogat uti ad eam Urbis Regionem, quæ Dorobernio obuertitur, omnes aditus obseruare uelint; Et si quem *Edmundum* nomine (nam de eo antè conuenerat) cum famulo aduentantem conspicerent, hunc comiter salutatum deducant. *Thomæ Geaymo* prospèctanti delitore, ad quod Grauesendiâ (oppidum est ad Tamesim Dorobernio interiaccens) ultro citroque commens quotidiē cymba solet appellere, inter adnauigantium turbam oblata hominis species est qualem *Personius* descriplerat: Huic amicè porrigens dexteram, "Da, inquit, manum, Domine *Edmunde*: vocis sonus incognitus, at oris gestusque & accentus forma, & datam exscendenti dexteram secutæ familiarissimæ consalutationes, omnē quæ esse poterat fraudis suspicionem confestim sustulere; unâ progrediuntur ad multò ante prouisam domum, hic gaudio reperti hospitis, ille diuinæ clementiæ admiratione redundans. Et quamuis per absentiam *Personij* ab ciuitate deesse quidpiam uideri posset ad perfectam eius diei lætitiā, tanta fuit eorum in omni obsequio alacritas, in quos suas cuique distribuerat partes, ut gaudio cumulus accederet.

Campiani
& *Carho-*
licorum
ardor.

IV *Similia cognati sibi fouentur similibus*; nobilium adolescentum innata uirtus, famâ *Campiani* accensa, ardebat hominis experiundi tanta cupiditate, ut sumptus incurij, periculorum non nimium prouidi, auidissimi eius quod præcipitum est in Christi milite solatij, nihil tanto duci paterentur deesse, quo non commodè solum, sed cum splendore (quem non tam permittebant tempora, quàm ipsorum flagitabat pietas) Sacris omnibus operaretur.